

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

X. De valde gravi purgatorio cujusdam religiosi.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

X. DE VALDE GRAVI PURGATORIO CUJUSDAM RELIGIOSI.

III. 17.

RELIGIOSUM quemdam de quo mihi bona fuit opinio, dum viveret, pœnis vidi deditum et afflictum. Oravi igitur pro ipso per tres menses cum gravi cordis mei molestia; nec tamen obtinui ut ejus dolores perspicerem, donec in vespera ultimæ diei, sicut spiritum exhalaverat, repente in orationibus meis quas pro ipso obtuli, ostensus est mihi. Vidi eum solum, nec concessum est ei ut mihi supplicia sua omnia demonstraret. Pallidi coloris erat, et in alba nebula videbatur. Et dixi: O cur non es in cœlo? Respondit mihi in verbis ambiguis, in miseria verecunda; legit autem quemdam librum lacrymando, cujus verba omnia *adversus eum*, cum omnibus libris quos legerat, conclamabant. Et dixit: Sæculum et res mundi in corde, in verbis, in moribus nimis dilexi. Duo dracones incumbabant pedibus ejus, sugentes et extrahentes ab ipso omne solatium quod ab Ecclesia catholica fuerat percepturus, propter inobedientiam qua propriæ voluntatis amator, non secundum prælatorum sapientiam procedebat. *Horror culpæ et ignis pœnæ ipsum in draconum specie cruciabant, quod percipere non poterat suffragia quæ Ecclesiæ charitas offerebat.* Et sciscitabar ab eo dicens: Ubi sunt inimici tui qui te solent affligere? Respondit: Nobilitas ordinis mei non sinit quod dæmones me contingant. Grande certamen in carne mea sustinui; quædam mente tractavi; quod si effectum habuisset, inutile valde esset. Ideo vitam meam protelari Dei benignitas non permisit; ardeo in meipso; mea propria voluntas cruciat me. Et dixi: Eia! narra mihi, quemadmodum possis adjuvari? Respondit: Si quis per annum centum venias duodecimque disciplinas ac multas contriti cordis ex oculis suis lacrymas mihi daret, peccatorum mihi indulgentiam impetraret: missæ etiam sunt legendæ. Eia, roga virgines et sacerdotes, ut pro me Dominum deprecantur; finem purgatorii mei dicere nolo tibi, ne ex hoc fratres mei ordinis contristentur. *Et dixit: Nunc fuge a me. Tunc accepta diabolica imagine in se ardebat et obmutuit contra me.*